

DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICO-PHARMACOLOGICA  
DE  
**SECALI CORNUTO**

QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
EXCELLENTISSIMI ET ILLUSTRISSIMI DOMINI  
*PRAESIDIS ET DIRECTORIS*  
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI  
DECANI,

NEC NON  
CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM  
D. D. PROFESSORUM  
PRO  
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA  
RITE OBTINENDA

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA  
UNIVERSITATE VINDOBONENSI  
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

*Ludovicus Schneller,*

Tyrolensis Oenipontanus.

---

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus  
die 9. mensis Junii 1832.

---

VIENNAE,  
TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

# THE HISTORY OF THE

... ..

... ..

... ..

... ..

ILLUSTRISSIMO, DOCTISSIMO

AC CELEBERRIMO

DOMINO DOMINO

JOANNI EHRHART

NOBILI AB

**EHRHARTSTEIN**

C. R. AD REGIMEN TYROLIS ET RHAETO-

AUSTRIAE CONSILIARIO

PROTOMEDICO EARUNDEM PROVINCIARUM

OPTIME MERITO, PLURIUM SOCIETATUM ERUDITARUM

MEMBRO AC SODALI

ETC. ETC.

**HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS**

**PIA CUM VENERATIONE**

**IN TESSERAM DEBITAE OBSERVANTIAE**

**OFFERT**


**AUCTOR.**

## P R O Ë M I U M.

---

Medicus juvenis, qui tamen multa trita repetere vitabam, utut propriae experientiae data proferre non valeam, pro dissertationis, quam lex jubet, themate convenientissimum putavi, aliorum experientias colligere de corpore factas, quod non solum origine sua et proprietatibus omnis, qui naturae studium colit, sed per singulares suos in organismum effectus medici quoque attentionem sibi promeruit, paucis adhuc remediis specificis merito adnummerandum.

---



## Denominatio et origo.

### §. 1.

*Secale cornutum seu corniculatum-clavus secalinus*; Germ.: Mutterkorn, Kornzapfen; Italis: *grano sprone*; Gallis: *ergots. seigle ergoté*; Anglis: *Spurred Rye s. horned Rye*; Hungaris: *űszög*; Bohoemis: *Smět*;

est productum singularis metamorphoseos, quam grana *Secalis cerealis* Linn. sub certis circumstantiis subeunt.

### §. 2.

In veterum scriptis a reliquis cerealium degeneracionibus vix distinctum reperitur, sed tunc demum naturae scrutatorum attentionem in se convertit, quum morbi sic dicti cerealis culpaе particeps accusaretur.

Variae exinde oriebantur opiniones de secalis cornuti origine, quod pro morbosa germinis degeneracione declarare non cunctabantur.

### §. 3.

Docuerunt autem observationes et experimenta de hac re:

Similem, ac grana in secali cereali subeunt metamorphosim, grana quoque aliarum plantarum cerealium pati, ut *hordei, tritici, phalaris, festucae, caricum etc.* licet in isto reliquis frequentius occurrat. — Etiam *Zea Mais* Lin., quae in America crescit, testante *Roulin* \*). grana sua in similes convertit clavos, quos sub nomine:

\*) Annales des sc. naturell. XIX. p. 279.

Compara: *Kleinert's Repertor.* V. Jahrg., 1. Heft.

*Mais peladero* comprehendunt et quorum usus animalibus plurimis dentium vaccillationem et pilorum defluviū causat.

Invenitur secale cornutum praeprimis in frumento, quod in agris humo pingui excellentibus crescit, annis, in quibus multa pluvia cadunt, favente simul majori solis aestu; quare in regionibus altis et frigidis rarius occurrit. — *Wildenow* per experimenta sua, quibus similes circumstantias ex industria adduxit, secalis cornuti formationem causasse asserit \*).

#### §. 4.

Quibus innixi originem hujus metamorphoseos ita sibi explicarunt, ut dicerent, per abundantis humidi influxum in germina prima evolutione detenta, quibus guttae pluviorum aëris accessum intercludant, mixtionem principiorum eorumque evolutionem legitimam alienari, et cooperantibus solis radiis fermentationem sui generis poni, abnorme hoc productum edens. (*Hermstaedt* \*\*) *Orlere* \*\*\*) similem mutationem germinorum ex peculiari contagio explicare vult, quod per humidum et aestum generatum tempore floris frumentum inquinaret. Unam spicam, quae sana est, per alteram inquinari posse clavos ferentem, *Fontana* dicit; id quod *Hertwig* negat.

#### §. 5.

Postquam vero observatum esset, in multis clavis foraminulum s. stigma inveneri, illud ab *insecto quodam* productum censebant, quod, opinante *Plenk* †) amylo seminorum consumto, gluten eorum remanens veneno suo inquinat.

Arrisit haec opinio ex eo quoque, quod vix unquam omnia spicae grana in clavos conversa observarentur, sed singula tantummodo et solitaria; quod plurimi plerumque

---

\*) *Hecker* und *Knape* Jahrb. der Staatsarzneyk. B. I. Heft 2. S. 240.

\*\*) *Orfila*, Toxicologie B. 4. S. 92.

\*\*\*) *Med. chir. Jshrb.* 1829. B. II. pag. 119.

†) *J. J. Plenk*, Toxicologia. Viennae 1785.



clavi ad agrorum margines inveniantur, quos insecta (inter quae praecipue *Scarabaeus solstitialis* inculpatur) praecipue circumvolitant; quod tandem et in aliis plantis per ictus insectorum, v. c. *Cynipis quercus, rosae* etc., similes degeneraciones oriuntur. *Martin Field* se in America per punctiones *acus simplicis* ope clavos produxisse adfirmat \*).

### §. 6.

Ast per recentiorum observatorum industriam innouit, et huic cerealium morbo generationem *fungi* cujusdam minimi subesse, quemadmodum id de rubigine, ustilagine, albugine compertum habemus.

Conspicitur autem hic fungus, corpus fluidum, tenax, foetidum referens, inter glumas adhuc clausas in germinis plerumque nondum evoluti apice, quod non ita multo post nigrescit et clavi inde excrescentis basim sistit, quem clavum pro fungo maturo habent, in diversis botanicorum systematibus vario nomine distinctum, uti sunt:

*Sphacelia segetum*, Leveillé \*\*),

*Spermoedia Clavus*, Fries,

*Sclerotium Clavus*, De Candolle,

qui sequentibus eum distinguit notis: „*Scl. corniforme*, cylindricum, sulco longitudinali interdum notatum, intus album, extus purpuronigrum.

Habitat, ovarii loco, inter glumas graminum et praesertim secalis. Parasit.“ —

## Proprietates physicae et chemicae.

### §. 7.

Prae omnibus hic differentia assignanda est, quae clavos Secalis cerealis ipsos intercedit, ita, ut inter secale cornutum *benignum* (*Schneider, Hartmann*) s. innocuum (*Plenk*) s. spurium (*Fontana*) et inter *malignum* s. venenatum s. verum probe distinguendum sit.

\*) *Dingler's polytechn. Journal*. B. XX. Heft 1.

\*\*) *Nees v. Esenbeck*, *Plantae med. Suppl.* 1.

## §. 8.

*Benignus clavus* a maligno sequentibus differt: foraminulo plerumque destitutus extra est violaceus, intra albus, farinosus, odoris et saporis expers, innocuus, ita, ut a pueris ruri non exigua saepe quantitate impune commedatur. Qui clavi, terrae commissi, adhuc germinare dicuntur, dum malignis idem non amplius concedatur (*Plenk*).

## §. 9.

*Secale cornutum malignum* vero — quod solum in medicina adhiberi meretur — corpus sistit oblongum, (longitudinis plerumque poll.  $\frac{1}{2}$ —1, imo  $1\frac{1}{2}$  et crassitiei lin. 2—3), avium unguis adinstar incurvatum, obscure triangulare, versus fines attenuatum, extremitatibus plus minus obtusis, quarum una glumarum albidarum hincinde vestigia ferit. Plerumque uno aut pluribus foraminulis instructum colorem extus offert obscuriorem, ex violaceo nigricantem (praeprimis siccatum); intus autem substantiam impure albam aut ex caeruleo griseam recludit, aequabilem, non farinosam, amygdalae adinstar cum levi strepitu fragilem. Integrorum clavorum odor tunc solum percipitur, si recentes sunt aut coacervati; sub contusione eorundem nares, ut a pulvere nicotianae irritantur et pulvis inde obtentus odorem ingratum spargit, illo similem, qualem a frumento corrupto percipimus. Sapor clavorum manducatorum ab initio farinosus, mox vero acris, nauseosus, siccitatem ori et faucibus imprimens, diuque adhaerens, nec aqua pura aut calcis, nec aceto delenda, solo lacte mitiganda (*Plenk*).

Farina inde parata violacea, cum aqua non facile unitur, malaxando tenacitatem magnam prodit et panis inde confectus aut totus caeruleo, aut maculas saltem violaceas ostendit; saporis et odoris ingrati. — Clavi aquae innant, granis sanis fundum petentibus (*Plenk*). Clavi diutius adservati, praeprimis autem eorum pulvis non bene adservatus — odorem et efficaciam perdunt \*).

\*) *Ryan*, in London medical Society; vide *Froriep's* Notizen Nro. 587. Juny 1850.

## §. 10.

*Analyses chimicae*, quas diversi Chemici instituerunt de secali cornuto, inter se discrepantes reperiuntur. *Vauquelin* \*) inde materiam colorantem flavam, in alcohole solubilem et alteram violaceam in alcohole non solubilem — materiam vegeto-animalem, oleum et acidum, quod pro phosphorico habet, obtinuit. —

Vires nocivas principio cuidam acri et materiae illi animali, putridae tribuit.

*Dr. Pettenkofer* \*\*), secundum cujus opinionem nulla amplius frumento propria principia continet, per analysim chemicam ex secali cornuto: *crystallos cubicas*, amaras obtinuit, quas pro morphio phosphorico habuit.

*Dr. Winkler* \*\*\*), in secalis cornuti granis 120 invenit:

Resinae mollis griseo-fuscae . . . . .	gr.	1, 0.
Acidi acetici puri . . . . .	„	0, 5.
Glutinis vegetabil. . . . .	„	1, 5.
Osmazomii . . . . .	„	5, 0.
Olei pinguis, spissi (oleo rad. artemisiae vulgaris similis) . . . . .	„	28, 0.
Substantiae rubrofuscae, spissae, ex resina, principio colorante rubro et extractivo acri, ex materia salina et Chlorophylli vestigio compositae . . . . .	„	24, 0.
Salis ex Ammonia et acido, nondum definito (non hydrocyanico, ut <i>Robert</i> credit) constantis et odore narcotico praediti . . . . .	„	13, 0.
Amyli modificati . . . . .	„	46, 0.

## §. 11.

Ex quibus omnibus elucet, per potentias, quae ad prognerandum secale cornutum concurrunt, justam prin-

\*) *Annales de Chimie et Physique* T. III. p. 387. — *M. ch. Zeit.* 1817. II. 6. et 1818. IV. 71.

\*\*) *Versuche über das Morphinum*, *medic. chir. Zeit.* 1819. III. 355.

\*\*\*) *Kleiner's Repertor.* Jahrg. VI., Heft 1. pag. 81.

cipiorum seminum evolutionem retineri, quae in gratiam processus morborum propriam potius et singularem subeunt fermentationem. —

Quaenam materia singulares secalis cornuti effectus in organismum exserat, ex inventis cum certitudine erui vix potest; sunt tamen inter nominata principia, quae vi narcotico-acri ejusdem quodammodo respondent. — Singularem vero ejus *in uterum vim* amylo et glutini non debite evoluto, aut jam mutato tribuendam esse mihi ex eo videtur, quum referente *Busch* \*) jam *flores* (antherae) Secalis cerealis sani similes ac secale cornutum in uterum effectus exserant et ad partum promovendum in Russia a plebe adhibeantur (id, quod et in Hungaria fieri dicitur) — et quum *fermenti panis acidi* (Sauerteig) in absolvendo partu et placenta expellenda, in quem finem vaccis rustici illud exhibent, efficaciam magnam ipsemet aliquoties observassem.

## Ratio pharmacodynamica generalis.

### §. 12.

In effectus, quos secale cornutum in organismum vivum exerit, *epidemiae illae* perniciosae attentos reddiderunt, quae diversis temporibus et locis exardescabant, sub diversis formis decurrentes, variis quoque nominibus designabantur; quamvis non ubique secale cornutum, nec, ubi in causa fuit, solum inculpandum est, postquam et alias frumenti degeneraciones et corruptiones, tam multa semina plantarum venenata: *Raphani raphanistri*, *Lolii temulenti*, *Bromi paniculati*, *Agrostematis Gittag.* etc. noverimus, et magnum influxum, quem simul *inedia*, *calamitates publicae*, *constitutio aëris epidemica* in morbos populares producendos possident. Quare et morbi cerealis *sporadici* exempla ita lethalia non observabantur. —

\*) Lehrbuch der Geburtskunde. Med. chir. Zeit. 1831. pag. 423.

## §. 13.

Licet jam *Jul. Caesar* (de bello civ. I. II. c. 5.) et *Galenus* (lib. de Febr. I.) pestes, quas describunt, a frumento corrupto derivent, primum tamen et distinctum morbi cerealis vestigium *Schwenkfeld* exhibet, epidemiam exitialem in montibus Silesiae A. 1588 et 1593 exortam describens. Non mihi hic locus, singulas perlustrandi epidemias, quales A. 1596 per Hessiam; A. 1709 (*Ergot* primum adpellata) in Helvetia et Gallia; A. 1716 et 1717 in Holsatia, Saxonia et Helvetia, A. 1722 iterum in Silesia, A. 1746 et 1784 in Svecia (quae a Linneo nomine *Raphaniae* insignabatur); ab Anno 1767—1770 passim in Dania et Holsatia et anno futuro in ducatu Linneburgensi saeviebant.

Quae Anno 1802 in Austriae quibusdam locis emicuit, epidemia cerealis, mox exstinguebatur. — Annis 1818, 1819 et 1820 Lugduni observabatur \*).

Singulae epidemiae quoad formam discrepantes varias denominationes apud Auctores nactae sunt:

*Raphania* Linn. et Cull.) — *Convulsio cerealis* (Baldinger) — *Convulsio Soloniensis* (Salerne) — *Convulsio dolorifica*; *Necrosis cerealis s. ustilaginea*; *Eclampsia typhodes*; *Myrmekiasis* (Swediauer) — Kriebelkrankheit, Krampfsucht. —

## §. 14.

In genere sub dupplici forma morbus cerealis adparuit, aut acute decurrens et febrilis, aut chronice depascens; distingunt nimirum inter morbum cerealem *convulsivum* cum lassitudine, ebrietate, stupore artuum et sensu formicationis in cute, cum spastica tandem articulorum contractione et agitatione convulsiva et dolore vehementissimo-periodice per hebdomadas saepe decurrentem et tabe aut liquatione aegri finientem — et inter morbum cerealem

---

\*) *Sprengel*, pragm. Geschichte der Medizin I. III. et V. B. *Wichmann*, Beiträge zur Geschichte der Kriebelkrankheit. 1770.

*Taube*, Geschichte der Kriebelkrankheit. Göttingen 1782. etc.

*gangraenosum*, qui gangraena extremitatum sicca insignitur, quae praegressa fornicatione, dolore et stupore subsequo, in pedibus plerumque et manibus nigrescentibus incipit, ad tarsum, tibiam, genu, carpum, cubitum usque non raro procedens. (*Orfila*, — *Richter*, *Haase* etc.)

*Cadavera* hoc morbo defunctorum cito putrescentia hypocleptes serosas in cavis cranii et spinae dorsi, vasa abdominalia multo sanguine venoso repleta, glandulas meseraicas tabe confectas, ventriculum sphacelosum, intestina mephitibus inflata, musculos tabe consumptos, sanguinem atrum, spissum etc. exhibuerunt.

Formam hujus morbi convulsivam in climate frigidiori, necroticam in calidiori facilius oriri, *Plenk* credit.

§. 15.

Ad rationes secalis cornuti ad organismum exactius eruendas hic ad *observationes et experimenta* respicere juvabit, quae hunc in finem in animalibus et hominibus sanis instituta sunt.

Pulvis clavorum *vulneri inspersus* sanguinem spissare et ab initio ardorem, dein vero stuporem in vulnere et digitis causare, *Plenk* adducit \*). Sic et ovis ranarum inspersus eorum evolutionem retinere et animalcula inde jam evoluta necare *Gaspard* narrat \*\*).

Idem experimenta cum pluribus *passeribus*, *ranis* et *cum vulpe* instituit, in quibus omnibus singularem, secale cornuto assumto, temulentiam et ebrietatem et insignem extremitatum posteriorum debilitatem observavit. *Gallinae*, *canes*, *porci* clavos sponte vix comedunt, neque eorum farinam, bona licet, remixtam; si major illi ejusdem copia ingurgitatur, quaeruli fiunt, temulenti, paralitici (praeprimis in extremitatibus posterioribus); hincinde bullae oriebantur, saniem foetidam fundentes et tandem variae partes: cauda, aures, extremitates gangraena cor-

\*) *Toxicologia*, 1785. pag. 210.

\*\*) *Orfila*, *Toxicologie* II. B. 1830. pag. 396.

ripiabantur et animalia periere. — In eorum cadaveribus maculae gangraenosae in hepate et intestinis inventa sunt.

*In cane*, cui decoctum concentratum clavorum per venam jugularem injectum est: statim adpetitus prostratus, delassatio, debilitas extremitatum post., vomitus difficilis; post aliquot horas respiratio difficilis, pulsus citati observabantur, quae symptomata, injectione die altera repetita, increvere, donec cum ejulatu, temulentia magna et vomitu bilioso concidens (post 9 horas ex 2<sup>da</sup> infusione) periit. — In cujus cadavere maculae nigrae pulmonum, plagrae ventriculi sanguine atro suffusae, musculi obscuriore colore notati, cerebri substantia violacea, durior, reliqua normalia inventa sunt \*).

§. 16.

Cum his symptomatibus in animalibus observatis ea potissimum congruunt, quae in hominibus secali cornuto *intoxicatis* observari supra memoravimus.

Dosi minori (a dr.  $\beta$  — 1) experimenti causa a hominibus sanis assumptum secale cornutum provocavit: saporem acrem, nauseosum, ructus et post horam disphoriam, vertiginem, capitis stuporem, faucium siccitatem, sensum ingratum praecordiorum, uberiolem salivae in os adfluxum, nauseam, vomitum, leipothymias etc. Die altera iterum bene sese valuisse experimentatores confirmant (*Hertwig* \*\*).

Sunt tamen alii, qui majorem secalis cornuti copiam ab hominibus et animalibus assumere videbant, quin inde morbosus aliquid observassent; quamvis hic de illius indole dubitare licet \*\*\*).

\*) *Orfila Tox.* 1850. II. B. pag. 395.

\*\*) *Sundelin*, Handb. der speciellen Heilmittellehre. B. I. 2. Auflage. 1827. p. 531.

*Rigelow*. — Ueber den Gebrauch des Mutterk. — *Med. chir. Z.* 1817. I.

\*\*\*) *Heil*, Dissertatio inaug. de Secali cornuto, Berol. 1822.

## §. 17.

Ex quibus omnibus elucet, secale cornutum sequentes in organismum exserere vires:

1. *Ventriculo* sub quacunq̄ue forma creditum causat: sensum caloris in ventriculo, fastidium ciborum, vomitum, dolores colicos, evacuationes fluidas alvinae et si justo majori dosi aut per longius tempus exhibetur, ipsius tractus intestinalis inflammationem; cujus actionem in genere ita turbat, ut in peremptis partes indigestae inveniantur.
2. Serius *systema irritabile* vim illius experitur; respiratio fit citata, vox debilis et rauca, pulsus debilior, quoad frequentiam autem modo celerior, modo multo tardior \*). Motus musculorum voluntariorum languidiores observantur nec desunt exempla congestionum ad caput, epistaxeos etc.
3. Eodem tempore et *systema nervosum* patitur; se insinuant vertigo, temulentia, capitis gravedo, delasatio magna, dolores varii, cutis formicatio, paralyseos prodromus, in inferioribus corporis partibus praepremis orientis. Pupilla mox dilatata mox coarcatata observata est.
4. Ut hos effectus secale cornutum exserat, *doses* plerumque majores exiguntur, quae pro vario individuo admodum diversa — a drach. j ad ℥j. — Multum etiam ipsius Secalis cornuti *qualitas* variare potest — pro diverso, quo crescit, climate \*\*) et anni constitutione, pro varia ejusdem aetate et adervatione. — *Billard* suadet omni anno novum colligere, quum vetustum vim perdat.

*Leveille*, qui in secali cornuto duas partes: fungum parvum et germen inde degeneratum et volumine auctum distinguere jubet, variam exspectat

\*) Med. chir. Zeitung. 1851. B. III. p. 419.

\*\*) Ibidem 1829. Bd. III. p. 412.



efficaciam, prouti fungus ille parvus germini adhuc adhaereat, nec ne.

5. Inter *formas*, quibus exhibetur, non magna intercedit differentia, quum pulvis et panis inde paratus, infusum et decoctum similes effectus exserant. Vim nocivam nucleo potissimum inhaerere observatum est. Siccatam calore majori aut tostam vim quoque perdit \*).

#### §. 18.

His omnibus collatis secale cornutum ad *venena narcotico-acria* \*\*) referendum esse, vix dubitari potest, et in morbis adhibitum medicamentum sistet, de generali eorundem agendi ratione participans: organa, praeprimis quibus applicatur, stimulo fortiori lacesans, motum contractivum telae cellulosae et fibrarum muscularium sollicitans, — vitae sensiferae turbas compescens.

### Ratio pharmaco-dynamica specialis.

#### §. 19.

Ex generali Secalis cornuti agendi ratione singulares omnes illi effectus absque magna difficultate vix derivantur, quos illud in diversis morbis curandis — experientia teste exserit. Quare magis mihi consultum videtur, morbos, in quibus secale cornutum vires medicatrices exhibuit, eo hic ordine pertractare, quo illos experientia docuit.

\*) C. J. Lorinser, Versuche und Beobacht. über die Wirkungen des Mutterkorns. Berlin 1824.

Comp. Dierbach's neueste Entdeckungen in der Mat. medica. Heidelberg u. Leipzig. 2. Abth. 1828. p. 405.

\*\*) Richter, spec. Therap. B. X. p. 205. — Dierbach ibidem Vogt, Pharmacodyn. Bd. II.

Probabiliter casus, ubi in aegris *Raphania* laborantibus partus praematurus observabatur secalis in *uterum* influxum docuerunt, illi denominationem germanicam: *Muterkorn* — promeruentem.

Prima de ejusdem in morbis adplicatione vestigia ut multorum aliorum medicamentorum, in medicina plebis inveniuntur et jam anno 1778 *obstetricibus* in regno *Hanoverano* per legem publicam ejus adplicatio *interdici* debuit, quae eodem in partu promovendo et haemorrhagiis sistendis usae et abusae sunt (*Pittschafft* \*). Etiam in aliis provinciis qua remedium domesticum eum in finem exhibebatur; plerumque clavorum integrorum aliquot 5, 7, 9 parturientibus concedebant obstetrices \*\*).

Exinde medicorum attentionem in se convertit et licet jam *Bauhinus* de ejusdem efficacia contra menstrua profusa et *Adam Loricere* in hysteria mentionem faciant, et *Rathlaw* in Hollandia eo, qua arcano jam anno 1747 usum esse, *Villeneuve* \*\*\*) contendit, *Camerarius* tamen primus dicitur, qui ejus in promovendo partu virtutem publice agnovit †).

Nihilominus demum recentiori aevo vires secalis cornuti exactius tentatae sunt, et Americae septemtrionalis medicus: *John Stearn* — A. 1807 illud oblivioni jam incipienti subduxit, indicationes et contraindicationes exponens, quibus ejus adplicatio obtemperare debet ††).

\*) *Hufeland's Journal*, B. 47. St. 6. S. 86.

\*\*) *L. Ballardini*, in *Annal. univers. di Medicina*, April. 1826. p. 37.

*Med. chir. Zeit.* 1819. III. p. 398 et II. p. 303.

\*\*\*) In *Kleinert's Report.* Jahrg. III. 1829. Heft IV. p. 30.

†) *Heyfelder* in: *Harless Westphal. Rhein. Jahrb.* B. 8. St. 2. S. 22.

††) *London medical Repository.* Vol. VI. p. 403.

*Med. chir. Zeit.* 1819. III. 345. — *Dierbach*, libro notato pag. 408.

Exinde complures medici Americae, Angliae, Galliae, Italiae tandem et Germaniae observationes suas communicaverunt, plus minus inter se congruentes; quum nimirum alii laudem ejus plenis buccis canunt, alii nil, aut parum, aut noxias tantum inde vidisse asserunt \*).

#### §. 21.

Quibus omnibus consideratis, sequentia de illius in diversis morbis adplicatione innotuerunt:

1. Perspicuus certe et multis observationibus evictus est secalis cornuti influxus in *uterum* — praeprimis *gravidum*, in cujus sequentibus adfectionibus exhibetur:
  - a) *Ad promovendum partum*, qui ex languentibus aut plane deficientibus uteri contractionibus protrahitur justo diutius; quodsi hujus defectus causa in uteri exhaustionem aut languorem fundatur, ex diuturniore protractione partus: major adhuc virium lapsus, haemorrhagiae periculosae, dolores spurii aut motus convulsivi oriuntur. Conditio autem necessaria est, ut genitalia ad transitum infantis praeparata jam sint, debite nimirum emollita, orificium uteri quidquam apertum, situs infantis et rationes ejusdem mechanicae ad exitum pelvis normales.

#### §. 22.

Ne autem adhibeatur:

1. Si naturae vires per se sufficerent ad partum justo tempore absolvendum, quam diu igitur sufficientes contractiones uteri vigent;
2. Si uteri debilitas potius ex virium suppressione; aut si individuum est sanguine turgidum, valde irritabile, inflammatione quadam organi nobilioris adfec-

---

\*) *Richter*, spec. Therap. B. X.<sup>2</sup>p. 207. — *Dierbach*, ut supra etc.

tum, aut in illam saltem dispositum; etiam primiparis cautius exhibendum.

3. Si partus demum incipit, orificium uteri adhuc rigidum, partes genitales non sat emollitae.
4. Si situs abnormis aut pelvis conformatio illegitima opem potius manuum et instrumentorum obstetricis sibi exoptulat, quam vero, rite adhibitum, hinc inde superfluum reddere potest \*).

#### §. 23.

His indicationibus et contraindicationibus bene observatis \*\*) *Secale cornutum* — plurimorum medicorum, qui id tentarunt, experientia — remedium sistit, quod cito, tuto et secure agens nomen: *pulvis ad partum* sibi promeruit, et ab omnibus fere pro *specifico* habetur \*\*\*).

Remedium nimirum hocce, debitis sub circumstantiis exhibitum jam inter 3 — 15 minuta validas consuetim uteri contractiones provocat, dolores spurios in veros convertit, qui ut plurimum intra spatium horae dimidiae aut integrae perseverantes partum absolvunt, quin aliquid morborum in aegra remaneat.

#### §. 24.

Adducuntur quidem exempla, ubi *nullas* a *Secale cornuto* in uterum parientem effectus conspiciebatur, quae autem multo pluribus cedunt, quae ejus magnum in matricem influxum evincunt. Jure in his casibus, si indicationibus applicatio non repugnaverit, ad remedii qualitatem pravam concluditur. —

#### §. 25.

Complures autem erant, suntque adhuc, qui tantum absunt, ut inanes appellant *Secalis cornuti* vires, ut il-

\*) *Kleinert's Repert.* IV. 124.

\*\*) *Sundelin* libr. supra adducto p. 531. — *Richter* sp. Therap. B. X. p. 219. etc. —

*Villeneuve*: Mémoire historique sur l'emploi du seigle ergoté etc. Paris 1827.

\*\*\*) *Church* in *Froriep's Notizen.* E. IX. Nro. 7. p. 108.

lud potius nimiae accusent efficaciae, *matri et fructui nocivae*.

Adplicationem ejusdem vomitum hincinde sequi verum est; sed quid inde sub iis circumstantiis timendum, sub quibus Secale juxta indicationes exhibetur; id, quod et de circulationis incitatione valet, quae hincinde post ejus usum observatur. — Exempla, ubi sub fortibus uteri contractionibus ipse rumpebatur, nil aliud demonstrant, quam, quod ad partum absolvendum alia adhuc obstacula aderant, quam merus contractionum validarum defectus, quodque igitur Secale indicatum non fuerat. —

Lochia parca, quae partum Secali cornuto adjuvatum hincinde excipiunt, saepe haemorrhagiarum, quae partum protractum commitari solent, sequelas sistunt (*Vil-leneuve*). Majorem attentionem merentur casus illi, ubi post Secalis cornuti adplicationem infans asphycticus edebatur in lucem — aut imo mortuus; quales medicus Americanus *Hossak* \*), *Chatard* \*\*) et *Angli medici recentiores* \*\*\*) plures adducunt. — Dicunt, per validas fixasque uteri contractiones, quas secale cornutum provocat, circulationem per funiculum umbilicalem intercludi, prolemque necari. Sed et contra hos idem dici potest, quod de ruptione uteri dictum est †).

*Dr. Charles Hall* ††) in America septentrionali vim nocivam secalis, quam saepius observavit, ex sanguinis vitalitate et circulo inde debilitatis explicare adnititur, quo, ut dicit, fit, ut sublato vinculo dinamico uterum inter et prolem, ulterior emoriatur et secedat, cujus cutem hincinde sphacelosam reperiebant.

\*) *Dierbach*, Libr. memorato. pag. 413.

\*\*\*) *Med. chir. Zeitung*. 1821. B. IV. p. 102.

\*\*\*\*) *Richter*, spec. Therap. B. X. p. 215.

†) *Ives*, Bemerkungen über das Mutterkorn — in der med. chir. Zeit. 1821. B. IV. S. 413.

††) *Froriep's Notizen*. Bd. 15. Nro. 14. S. 217. — *Richter et Dierbach*, in locis saepius memoratis. —

Ast praeter id, quod saepius circuli exagitatio, quam ejus retardatio observatur, comprehendi porro non potest, quomodo tam brevi tempore fructus mori — imo putrescere potest, dum mater plerumque nil mali inde experitur; imo suspicio oritur, fructum jam prius emortuum fuisse, quam *Secale* exhibebatur, quod tunc et tardiore \*) effectum praestat, quem *Hall* semper observavit. —

### §. 26.

Quomodo autem *secale cornutum* effectum suum tam conspicuum in uterum gravidum exserat, id explicari vix potest, quare et plurimis sufficit dixisse, esse *remedium specificum* pro eodem. —

*Billard* contendit, effectum *secalis* in uterum esse mere *sympathicum*, quum observasset, actionem tam diu durare, quamdiu *secale* in ventriculo versatur.

*Vogt* vim illi sedantem pro systemate sanguifero tribuit, actionem autem explicari non posse confirmat.

Nihilominus videtur per stimulum suum acrem systema gangliare, pro tempore saltem, excitare, et fibrarum contractionem provocare, turbas nervorum simul compescens. —

### §. 27.

- b) Non minorem effectum *secale cornutum* in illis casibus saepe praestitit, in quibus *placenta* ex remittentibus et exhaustis uteri contractionibus secedere cunctabatur (*Stearn*). *R. Newton* placentam, quae tres jam dies frustra desiderabatur, novis per *secale cornutum* contractionibus provocatis, feliciter obtinuit \*\*).
- c) Omni quoque ratione convenit, quodsi *lochiorum fluxus* ex utero relaxato profusus est (*Stearn*). Imo

\*) *Bibby*, in *Froriep's Notiz*. B. I. Nro. 1. S. 14

\*\*) *Kleinert's Reperit.* IV. 20.

feminis talibus, quae in haemorrhagias post partum pronae erant, aliquot minuta ante partum absolutum dosi moderata exhibitum, *prophylactice* profuit. *Davies* \*).

- d) *In convulsionibus sic dictis puerperalibus Waterhouse* \*\*) et *Brinkle* \*\*\*) illud laudant.
- e) Adhibuerunt tandem secale cornutum ad *abortum*, qui jam inceperat, et haemorrhagiis periculum struxerat, adjuvandum †); quem tamen plures medici frustra expectabant; indicio, secale potissimum partus maturi officio succurrere. Hinc exempla abortus per Secale cornutum producti rara.

### §. 28.

2. In morbis uteri *extra graviditatem* licet non tantam, magnam tamen efficaciam ostendebat secale cornutum, et quidem:

- a) In *metrorrhagiis*, quibus uteri atonia et languor subest, *Hall, Villeneuve, Prescott* ††), *Carus* et plures recentiorum multum inde expectant.

Recentissimis temporibus *Dr. Spajrani* Paviae in metrorrhagiis et menstruis profusis felici cum successu illud adhibuit, plures enarrans casus †††).

Laudat illud in haemorrhagiis uteri cum congestionibus dolorificis et statu ejusdem irritativo, dummodo inflammationis gradum nactus nondum est. Praemissis necessariis venaesectionibus dosibus moderatis sed saepius repetitis illud dispensat, usum ejusdem hae-

\*) *Med. chir. Zeitung.* 1826. III. p. 130.

\*\*) " " " 1818. IV. p. 50.

\*\*\*) " " " 1823. III. p. 200.

†) " " " 1822. II. p. 314.

††) *Gräfe und Walther*, *Journal.* B. V. Heft 3.

†††) *Annali universali di Medicina*, compilati dal *D. Anib. Omodei*. Vol. I. III. Marzo. 1830.

*Comp. Froriep's Notizen.* Nro. 2 B. XXVIII. July 1830.

morrhagia jam silente, per unum alterumve diem adhuc continuans.

- b) In *amenorrhœa* a pluribus quoque laudatur, cui nimirum major uteri laxitas aut spasmus subest; convulsiones eadem adjunctae quoque Secali cedebant. (*Bigelow* \*), *Church* \*\*).
- c) *Hall* ejus efficaciam in *blenorrhœa* cum haemorrhagiis alternante expertus est.
- d) *Steinthal* illud exhibuit, ut *tumorem uteri* per secalis vim profundius protrusi facilius ligare poterat \*\*\*).

### §. 29.

3. Ob effectum salutarem, quem in haemorrhagiis uteri observat, *Spajrani* †) supra nominatus secale cornutum in *aliarum partium haemorrhagiis* tentavit, pluresque enarrat casus *epistaxeos*, *haemoptoës* et *haematuriae*, per illud sanatos.

Exhibuit illud, ubi irritatione majori et congestione per antiphlogistica: venaesectiones, salina etc. composita, profluvium cruentum nondum cessaverat, dosibus modicis, saepius repetitis et silente jam fluxu in confirmationem curae adhuc continuatis. Effectus, quem a Digitali purp. prius exhibita frustra expectavit, plerumque jam prima die conspicuus erat, drachma secalis — in octo portiones divisa consumpta.

Remedium hocce deprimendo (contrastimulando) agere contendit, excessum vitae in systemate capillari moderans.

### §. 30.

4. *Stout diarrheam chronicam* secali cornuto sanavisse

\*) *Journal of the scienc. and arts.* 1816. Vol. I. Heft 3.

\*\*\*) *Froriep's Notiz.* B. IX. Nro. 7. S. 108.

\*\*\*\*) *Siebold, Journal für die Geburtshülfe.* B. VI. Heft 1. S. 143.

†) *Locis supra nominatis.*



adfirmat — per excitationem, ut credit, uteri antagonisticam \*).

### §- 31.

5. Auget quoque secale cornutum numerum illorum remediorum, quae contra *febrim intermittentem* laudantur. *Dr. Baker* in pluribus febribus tertianis et quartanis illud exhibuit, quae utique — una quartana in senes excepta — huic remedio cedebant.

Dicit adhuc, *recidivas* non facile fieri febres has, secali cornuto fugatas.

Exhibuit pulveris clavorum scrupulum omni secunda hora apyrexiae tempore, ita tamen, ut dosis ultima cum paroxismi initio coincidat. Tres scrupulos jam ut plurimum sufficere.

Suadet autem purgantia praemittere et cum ipso secali conjungere, et aeger situm horizontalem servet et refrigerium sedulo vitet (?) \*\*).

### §. 32.

6. Tandem et in *paralysi extremitatum inferiorum* proficuum fuisse narratur. —

## Forma et dosis.

### §. 33.

Quamquam *clavi integri* exhibiti, ut obstetrices consueverunt, effectum desideratum praestent (*Henrichsen*), a medicis tamen sub sequentibus plerumque formis exhibetur secale cornutum:

1. *Pulvis subtilissimus* a nonnullis reliquis formis praefertur, licet reliquis difficilius a ventriculo feratur.

\*) Med. chir. Zeitung. 1828. I. p. 85.

\*\*) „ „ „ 1827. B. 3. p. 187.

*Kleinert's Repert.* III. 1829.

*Dosis* ejusdem varia; exhibebatur a granis 5 ad 90 pro dosi.

Ad partum promovendum — plurimis consentientibus — a scrupulo dimidio ad integrum pro dosi exhibetur, quae post  $\frac{1}{4}$  horae (aut malo urgente prius adhuc) repeti potest, si effectus sufficiens subsequutus non esset. Dosim minorem magis in ventriculum quam uterum agere, dosi majori autem contrarium obtinere — *Henne* observavit \*).

In aliis morbis dosibus minoribus securius exhibetur, a gr. 5—10; quae, si malum urget, omni 10. 20. minuto, alias omni 2., 3. hora exhibetur.

Sic *Dr. Spajrani* in haemorrhagiis secale exhibet, ita, ut aeger drachm. unam pulv. in doses octo divisam inter nycthemerum consummat.

Doses illae ingentes, quas *Randall* exhibuit — drach. pulv. quatuor vel et unciam integram inter nycthemerum noxias adducere facile possent.

In febribus intermittentibus *Baker* adulto scrupulum unum vel drach. dimidiam exhibuit, in partes 2—3 divisam et ante paroxysmum omni secunda hora dosim summere jussit. Dosis scrupulorum duorum pro febre radicitus tollenda suffecisse \*\*).

Summitur autem pulvis aut merus, aut ex aqua saccharo dulcificata, aut ex jusculo; optime autem — si per morbum licet — cum vino exhibetur (*Ballardini*).

2. Ventriculo magis placet *infusum*, quod parant, pulveris secalis cornuti dr. dimid. vel integram aqua fervida per 15 minuta circiter infundendo ad Colaturam unciarum trium aut quatuor, quod deinde — pro necessitate — aut tribus vicibus, aut cochleatim et iisdem, ac pulvis, intervallis exhibetur. Infusum colo-

\*) *Rust*, Magazin. Bd. 23. S. 187.

*Vogt's* Pharmakodynamick, 2. B. 1. Abth. S. 264.

\*\*) *Dierbach*, libro notato p. 765

rem violaceum ostendens sapore quidquam acri displicet, quem aequè saccharo aut jusculo quodam mitigant (*Chevreul*).

3. *Decoctum* simili modo, sed rarius, paratur et exhibetur; quod, si ventriculus non ferret, per *clysterem* ex pulv. secal. dr. duabus ad Col. unc. sex coctis applicandum *Villeneuve* suadet.
4. Parabant tandem *tingturam spirituosam* — ex pulv. secalis unc. dimidia et alcoholis unciis sex per 4 dies digestis (*Villeneuve*), quam praeprimis in haemorrhagiis passivis laudant et simili modo exhibent, ac *tingturam Cinnamomi*.

Praeter has formas quoque: *tingturam aetheream*, *extractum aquosum* et *spirituosum* paraverunt, quae autem rarius exhibentur \*).

#### §. 34.

Hucusque secale plerumque solum exhibebatur; ast — reliquis adnventibus — cum Opio, elaeosaccharo cort. Cinnamomi (*Alle*) et in febribus intermittentibus cum purgantibus apte conjungitur.

#### §. 35.

##### *Antitoda.*

Leviores per secale cornutum intoxicationes, quae solum nauseam, vomitum, aestum majorem etc. produxerunt, quin malum magis adhuc increverit; sat saepe mox sponte iterum, evanescentibus symptomatibus, sanantur; quae, si opem exigent, in genere non aliam, ac reliqua narcotico - acria sibi exposcunt.

Excitato aut saltem adjuvato vomitu aut, si secale jam diutius in tractu intestinali moratum esset, purgante praemisso potus acidi, et remedia antispasmodica conveniunt,

---

\*) *Dr. Schneider*, das Mutterkorn etc. in *Hleinert's Report.* Jahrg. VI. Heft 1. S. 82

respectu semper habito congestionum, quas saepe causat. — *Plenk lac* pro antitodo habet. Malo autem graviori, si nimirum jam formam morbi cerealis convulsivi aut gangraenosi exhiberet, secundum Therapiae specialis regulas exhibenda essent: emetica (praeprimis *Ipecacuanha*), acidula, antispasmodica, tandem et roborantia pro rerum diversitate.

*Courhaut* \*) qua securum antitodum *amoniam* salutat, quae a guttis x. ad xv. in decocto Chinae per diem interne assumitur, et simili combinatione partibus gangraenosis externe conveniens \*\*).

---

\*) *Traité de l'Ergot du seigle* etc. 1818. 8.

*Frorieps*, *Notiz. B.* XXX. Nro. 19. Juny 1831.

\*\*\*) *Orfila*, *Toxicologie* 2. B. S. 399.



# Theses defendendae.

---

## I.

Studium historiae naturalis non ob materias solum, quas pertractat, sed ob influxum quoque in formalem mentis animique culturam valdopere medico commendandum.

## II.

Systema plantarum Linaei naturae et usui magis respondet, quam reliqua — sic dicta naturalia.

## III.

Analyses chimicae corporum, quae synthesis reproduci non possunt, suspectae sunt.

## IV.

Anatomia comparativa facile ad conclusiones falsas seducit.

## V.

In Physiologiae studio microscopium pro oculo id est, quod pro mente phantasia.

## VI.

Mutationes lunae menstruationis momentum causale sistunt.

## VII.

Senes et infantes in therapia non pares censendi.

## VIII.

Ipecacuanha maximae in febribus nervosis dignitas est.

**IX.**

**Hypochondria et hysteria morbi penitus distincti sunt.**

**X.**

**Phthisis pulmonalis non est morbus contagiosus.**

**XI.**

**Omni haemeralopiae cutis functio laesa subest.**

**XII.**

**Decisio de vulnerum lethalitate a medico forensi —  
aegro adhuc vivente, exigi non potest.**

**XIII.**

**Remedia externa majorem Chirurgiae attentionem,  
quam, qua nunc gaudent, merentur.**



